



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 813. Usque Ad Annum 859

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1760

VD18 90117867

§. 49. Gotteschalculus fustibus cæsus & carceri datus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66103](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66103)

Bataviam & Rheni Vahalisque ripas rapinis exhauriunt. Gandavum veniunt, Sanctique Bavonis Monasterium injectis ignibus cremant. Lotharius Imperator, cum Piratarum vim repellere non posset, Roricum Vasallum recepit, eique Dorstatum & alios Comitatus concessit. Interim aliæ Normannorum cohortes Menapios, Tarvisinos aliosque populos maritimos spoliant; at rursus alii ejusdem nationis prædones, cum Angliam invadunt, repelluntur. Godefrido autem uni ex eorum Ducibus, postquam adversa Sequana in vectus usque Bellovacum pervenisset & urbem diripuisset, Carolus Rex pactis fœderibus eodem anno octingentesimo quinquagesimo agros colendos concessit.

§. XLIX.

Gotteschalculus fustibus cæsus & Carceri datus.

Inter hæc in Gotteschalculum Monachum, to. 8. Con. p. 55. qui Hincmari curæ commissus fuerat, Cadurci ad Oesiam anno octingentesimo quadragesimo nono tredecim Hincm. de præd. c. 2. Episcopi, jubente Rege Carolo ad negotia Reipublicæ tractanda congregati, sententiam pronuntiarunt. Notissimi Episcoporum fuisse Venilo Archiepiscopus Senonensis, & Hincmarus Remensis, Rotadus Episcopus Sueffionensis, Lupus Catalaunensis, Pardulus

Sæculum IX.

A. C. 850.

Chr. Norm.

Sæculum IX. A. C. 850. dulus Laodunensis. Adfuerunt etiam duo
 Chorepiscopi, quorum alter erat Rigboldus Remensis, tres Abbates nempe Robertus Corbejensis, Bavo Orbacensis & Halduinus Altvillarensis. Ergo in illo
Ann. Bert. 849. conventu Gotteschalci ejusque causæ instituto examine, Hæreticus & contumax judicatur, & deponitur Sacerdotali gradu, quem contra Canones a manibus Rigboldi Chorepiscopi Remensis Episcopo suo Rotado Sueffionensi hujus rei incipio acceperat. Præterea ut insolentia & obstinatio hominis puniretur, secundum Canones Concilii Agathensis & Regulam S. Benedicti, ut ferebat sententia, virgis cædendus erat & carceri mandandus, quod in causas civiles & Ecclesiasticas temere se ingessisset. Prohibitum est docere amplius, perpetuum indictum silentium, & sententia districtim executioni mandata; nam publice inspectante Rege Carolo duris verberibus castigatus Scripta sua flammis tradere coactus, & in Abbatia Altvillarensi Diocesis Remensis inclusus est, quia Hinemarus Rotadi Episcopi ipsius fidem suspectam habebat.

§. L.

Scripta pro & contra Gotteschalcum.

Gotteschalcus ne quidem in carcere calamum